

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Wersja sandomierska

Rękopis Rosyjskiej Biblioteki Narodowej w Sankt Petersburgu, sygn. Lat. Q II 157, tekst 2, k. 114ra–114va

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 51

[51] De equalibus querimonia, quod ad iudicium pervenerunt.

Omnis querela et testimonia, que cum criminosis violenciis cum clamore ad iudicium, in facto manifesto deprehense et deducte fuerint, virum metseptimum *[s]* protestare oportet circa ius pacis, exceptis vulneribus, que monomachalia non fuerint. Manifestum factum ubi esse dicitur, ubi viro gladius aut cultellus, aut sica et ubi vir captivatur, cum furtu aut spolio, deprehensus fuerit ducitur ad iudicium cum clamore. Insuper eciam manifestum factum ubi esse dicitur, ubi viro gladius aut cultellus, vel alia sica in manum deprehensa fuerit, cum qua pacem infregit, aut si in fuga facti deprehensus fuerit, et captivatus et ad iudicium cum clamore deductus fuerit. Hunc actor metseptimus vincere potest vel debet circa *[k. 114rb]* ius pacis. Et si factum manifestum cum viro ad iudicium deductum fuerit, stuprum et obsidium, et irruenciam domicilii, homicidium, furtum, spolium, probat hoc protestando metseptimus. Si vir de istis conqueritur, extunc sua querimonia debet sic procedere: “Domine iudex, ego conqueror Deo et vobis, quod hic iste homo venit intra municipalia, et in me pacem violavit, et me stupravit et spoliavit corpore et rebus et honore muliebri, de quo sufficiens habeo testimonium per eos, qui meum clamorem audierunt et ostendere volo, sicut de iure habeo, et requiro in sentencia diffinita, quomodo ipsum vincere debeam, ut michi proficiat in iure meo”. Extunc ille petit *[s]* satisdacionem, si vult, quam sibi oportet facere, et dicat se de facto esse innocentem. Tunc tutor mulieris interroget in sentencia diffinita, si mulier violenciam melius protestare poterit cum hiis, qui suum clamorem audierint, quam ille possit evadere, cum ad iudicium in manifesto facto sit deductus. Tunc diffinitur iure, quod ipsum possibilius *[k. 114va]* vincere cum hiis, qui suum clamorem audierunt, quam evadere possit. Et si hoc protestabitur, ut iuris est, adversarius collum demeretur. Idem vero iudicium super irruenciam domicilii iudicatur.

[hasła: skarga, przemoc, przepustwo, sąd, gorący uczynek, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik, pokój, rana godna pojedynku, kradzież, obwołanie, miecz, nóż, sztylet, ucieczka, pokój, zasadzka, gwałt, honor, gwar, zabezpieczenie, niewinność, uwolnienie od skargi, kara śmierci]